



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. IV. Hortatur ad resignationem in Dei beneplacitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

filij mei, ad primam charitatem, & oculum intentionis inungite callyrion sanguinis mei; Vt in omnibus oneribus, & honoribus, nihil, nisi gloriam meam, requiratis. Et ego qui synceritate cordis delector, remunerabo labores mei causa susceptos: & sicut incorrupta intentione, confessi estis me coram hominibus, ita ego confitebor vos coram Altissimo Patre meo.

C A P. IV.

Hortatur ad resignationem in Dei beneplacitum.

NIHIL est, filij charissimi, quod maiorem cordis pacem generet, quam perfecta resignatio in beneplacitum meum. Si enim in omni aduersitate, & prosperitate cor hominis in ijs, quæ facio, sibi complacit; nulla ei nocebit aduersitas, quia nulla ei dominabitur iniquitas. Immo hauriet a quas in gaudio, à me fonte viuo, & amantissimo saluatore suo: quia si uè valeat, siue ægrotet, siue laudetur siue vituperetur, lætabitur in salutari suo, qui facit omnia, secundum consilium rectissimi-

ma vo-

meæ voluntatis suæ. Hæc est sapientia viri iusti, quem non contristabit, quicquid acciderit ei: gaudet enim gaudio magno valdè, cum omnia ei eueniant iuxta desiderium suum; quod semper cohæret, cum dispositione prouidentia meæ. Vtinam mundi sapientes, qui me condemnant, vt ipsi iustificentur, discerent prudentiam hanc, quæ non inuenitur in terra suauiter viuentium. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur. Non lucebit aurum coram ea, nec appendetur argentum in comparatione eius. Inæstimabilis enim est perfecta resignatio cordis, quidego velim semper attendentis, atq; in eo ipso dulcissimè requiescentis. Dolent principes terrarum super morte charorū, nec vllā consolationē admittere volūt: & iustus lætatur morte primogeniti sui, quia ex mea voluntate succedit. Vos ergo filij, qui desideratis frui pace filiorum Dei, in omni euetu voluntatē meā spectate, & confidēter acquiescite: & fidelissimi serui mei Iob verba celebrate: Sicut Domino placuit

placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Et ego paternam, & maternam curam vestri geram: circūducam vos per mundi desertum: & ero in umbraculum ab æstu: totaque sæculi huius nocte ero vobis in clarissima illuminatione ignis. Si perfectè in meo beneplacito quiescatis, omnis substantia domus meæ vestra erit. Meus est dies, & mea est nox, ego fabricatus sum auroram, & solem, ego feci omnes terminos terræ, æstatem, & ver ego plasmaui ea. A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari, omnia subiacent imperio meo: nequè est qui possit resistere voluntati meæ. Quocirca si voluntas vestra vna, & eadem cum voluntate mea sit, omnia vestra erunt, quia omnia obtemperabunt voluntati vestræ. Et peracto vitæ cursu, in signum regni dignitatis, sedebitis cum senatoribus terræ: & inenarrabili lætitia exultantes adhærebitis, strictissimo complexu, cordi meo, ad cuius proportionem formati estis.